

EPISTULA LEONINA

CXL

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **GRATIS** ET **SINE ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS **I-CXXXIX** INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGIAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM (140) !

ARGUMENTA

FABELLA ANDERSENIANA: Imperator qualia vestimenta gesserit nova.....	04-09
DE FRAUDE CLIMATICA (II)	10-20
Ivar Giaever (Physicus Nobelianus): De calefactione globali.	
VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VII)	21-25

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

Cara Lectrix, Care Lector,

*maximê gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam
centesimam quadragesimam.*

*Hâc Epistolâ ineunte invenies illustrissimam fabellam ab **Andersenio**
poetâ Danorum praeclaro **de Imperatoris vestimentis novis** scriptam.*

*Argumentum huius fabellae sapiens et delectabile aliquatenus spectat
ad Epistolae symbolam alteram. Nam in eâdem **Ivar Giaever** physicus
Americanus origine Norvega a.1973 praemio Nobeliano honestatus
loquitur **de calefactione globali putativâ**, cuius mensurationem a
prophetis ecpyrosis apocalypticae accuratius quam verius indicatam in
dubium vocans meminit illius argumenti Anderseniani.*

*Denique inspicias, quaeso, indicem vocabulorum, quae spectant ad
artes. Ne negligas verba novata. Recordare enim ipsum Ciceronem
scripsisse novis rebus nova verba esse imponenda.*

*Quae cum ita sint, hanc Epistulam Leoninam 140 tolle et lege et laetare
et ... **pancraticê vale et perge mihi favere!***

Medullitus Te salutat

Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

**Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,
die Veneris, 25. m.Aug., a.2017**



MUNDUS VULT DECIPI: ERGO DECIPIATUR.

Sebastianus Franck, *Paradoxa Ducenta Octoginta*, CCXXXVIII (1542)

IMPERATOR QUALIA VESTIMENTA GESSERIT NOVA



Fabella a Iohanne Christiano Andersen scripta¹, a Leone Latino in Latinum conversa.

Multis annis ante vixit imperator, qui nova vestimenta gerendi cupiditate tam ingenti affectus erat, ut totam pecuniam suam erogaret, ne umquam esset parum ornatus. Qui imperator neque curabat milites suos neque curabat theatrum neque amabat in silvam vehi nisi volebat nova vestimenta monstrare. Eidem erant vestes singulis horis diei omnibus specialiter destinatae, nec aliter ac rex dicitur concilio praesidêre, de hōc homine solebat dici: »Imperator versatur in vestiario!«

Magna urbs, in quâ imperator habitabat, erat frequentatissima. Omni die multi peregrini adveniebant, necnon aliquo die venerunt duo

¹ orig. „Keiserens nye Klæder“, d.7. m.Apr. a.1837, in: „Eventyr fortalte for Børn“, i.e. Fabellae parvulis narratae. Usus sum hac versione theodisca, quae sequitur:
<http://www.zeno.org/Literatur/M/Andersen,+Hans+Christian/M%C3%A4rchensammlung/M%C3%A4rchen/Des+Kaisers+neue+Kleider>

fraudatores, qui se esse textores simulantes dixerunt se scire telas texere pulcherrimas omnium, quae possent excogitari. Harum telarum non solum colores picturamque textilem esse insolito pulchras, sed vestimenta, quae ex his telis consuerentur, eo esse mirabiliter insignia, quod a nullo homine conspicerentur, qui aut muneri suo parum aptus esset aut esset inexcusabiliter stultus.

»Babae!« imperator cogitavit, »taliam vestimenta mihi erunt decentissima; si talia habuero, invenire sciam, qui viri in regno meo ad munus, quo funguntur, parum apti sint, et sciam prudentes distinguere a stultis! Eia, istas telas facite ut statim mihi texatis!« Deinde imperator fraudatoribus multum dedit pecuniae, ut opus suum incoharent.

Iidem autem duobus iugis textoriis collocatis se operari simulabant, sed iugis imposuerant ne hilum quidem. Tamen postulabant sericum subtilissimum aurumque purissimum, sed eadem imponebant sacculis propriis et usque in multam noctem operabantur iugis vacuis.

Imperator autem cogitans »Ah nunc velim scire, quantum progressi sint in telis texendis!« animo erat quadamtenus gravi recordatus eum, qui stultus esset aut ad munus parum aptus, telas non posse videre. Credidit quidem sibi ipsi nihil esse timendum, tamen primo voluit emittere alium, qui videret, quidnam fieret de rebus texendis. Omnes homines totam in urbe cum scirent, quantam vim extraordinariam istae telae haberent, vehementer cupiebant scire, quam inepti quamve stulti essent vicini sui.

Tum imperator cogitavit: »Ah vetulum ministrum meum sincerum mittam ad textores. Qui optimè scit iudicare, quantum valeat tela, nam eo nemo prudentius munere fungatur!«

Nunc vetus minister bonus oecum intravit, ubi sedebant duo fraudatores iugis textoriis vacuis operantes. »Deus nos servet!« vetus minister cogitavit oculis raptim apertis. »Nihil video!« At hoc non dixit.

Ambo fraudatores eum rogaverunt, ut propius accederet, et e ministro quaesiverunt, nonne bella esset pictura textilis, nonne pulchri essent

colores. Deinde digitis cum monstravissent vacuum iugum textorium, vetulus minister miserrimus denuo oculos raptim aperuit, sed nihil vidit, nam nihil adfuit. »O Domine Deus,« cogitavit, »num ego verê sum stultus? Hoc numquam credidi neque hoc licet scire ulli homini! Num ego parum aptus sum ad munus meum? Non decet, non oportet, ut confitear me non videre telam!«

»Heus Domine, nihil dicis?« unus ex textoribus rogavit.

»O, haec est nitidula, perquam bellula!« minister vetulus respondit perspicillum suum perspicuens. »Ecce pulcherrimam hanc picturam textilem! Ecce hos colores ! – Eia, imperatori dicam hanc telam mihi perplacere!«

»Quod tibi placet, gaudemus nosmet ipsi!« ambo textores responderunt. Deinde colores nominibus appellaverunt necnon textilem picturam explicaverunt mirabilem. Minister vetulus animum bene attendit, ut eadem verba sciret dicere ad imperatorem reversus, necnon eadem dixit.

Nunc fraudatores postulaverunt plus pecuniae, plus serici, plus auri, quibus ad texendum uterentur. At reverâ haec omnia infarserunt sacculis suis, iugis textoriis imposuerunt ne hilum quidem, sed perrexerunt, ut iam antea, operari iugis vacuis.

Imperator mox iterum probum ministrum publicum illuc misit, ut videret, quid de texendo fieret et quando panni perficerentur; ei autem ministro nil aliud accidit quam primo: alter quoque videbat et videbat, sed quia praeter iugum textorium nihil adfuit, praeter id vidit nihil.

»Nonne haec tela est verê bella?« fraudatores rogaverunt picturamque textilem monstrantes explicaverunt magnificam, quae omnino non adesset.

»Stultus non sum,« vir cogitavit; »ergo ad bonum munus meum non aptus sum! Hoc satis mirum est, sed hoc oportet ne quis animadvertat!« Itaque telam laudavit, quam non viderit, illisque affirmavit, quanto gaudio afficeretur colorum pulchritudine

picturaeque magnificentiâ. »Verum, illa tela est bellissima!« dixit imperatori.

In urbe omnes homines loquebantur de telis illis magnificentissimis. Nunc imperator easdem voluit spectare ipsissimus, dum adhuc erant in iugis textoriis. Multis viris electis comitantibus, quibus intererant etiam illi duo viri politici sinceri, qui iam antea ibi adfuerant, rex adiit illos duos fraudatores vaferrimos, qui nunc texebant summis viribus, sed neque hilo neque filo.

Viri politici illi sinceri: »Ehodom« inquit, »nonne haec tela est magnifica? Maiestas Tua Aeterna nonne vult videre, quam pulchra sit pictura textilis, colores quam sint magnifici?« digitis monstrantes iugum textorium vacuum, nam crediderunt alios posse pannum videre.

»Quid!« imperator cogitavit; »ego video omnino nihil! Istud quidem est terribile! Sumne stultus? Num parum aptus sum ad munus meum imperiale? Istud quidem si verum est, rerum quae mihi accidere possunt est omnium maxime terribilis«. Itaque imperator: »O« inquit »bellissima est: ei applaudo quam vehementissimê!« vultuque placido annuens aspectavit iugum textorium vacuum; nam noluit dicere se videre nihil. Omnes comites, quos imperator secum adduxerat, videbant et videbant, sed quamvis non plura conspicerent quam illi omnes ceteri, tamen imperatori dixerunt: »O, haec tela quam bella est!« eidemque suaserunt, ut nova vestimenta magnifica primum gereret magno die festo, qui mox futurus esset. »Haec tela est magnifica, nitida, excellentissima« unus dicebat alteri et omnes videbantur esse animis laetissimis. Imperator autem utrique fraudatori attribuit crucem equitis, ut pendêret e foramine botonis necnon titulum textoris aulici.

Fraudatores per totam noctem, quae fuit ante mâne diei festi, plus sedecim candelis accensis vigilaverunt, ut homines viderent se esse occupatissimos labore vestimenta imperatoris nova perficiendi. Textores simulabant se telas ex iugis eximere, in âere secabant magnis forficibus, suebant acibus filorum expertibus, denique dixerunt: »Ecce, nunc vestimenta sunt perfecta!«

Imperator autem ipse vênit unâ cum magistratibus suis supremis. Tum uterque fraudator altero bracchio sublato, quasi aliquid teneret: »Videte, hîc sunt bracae! Hîc est vestis! Hîc est amiculum!« et quae sequuntur. »Haec tela est levior quam illa aranearum; licet credas nihil esse corpori tuo impositum, sed hîc ipso efficitur pulchritudo!«

»Ita est!« omnes magistratûs dixerunt, quamquam nihil viderunt, nam nihil adfuit.

Fraudatores: »Libetne Aeternae Maiestati Tuae Imperiali« inquit, »vestimenta deponere, ut hîc ante speculum magnum induamus Tibi nova!«

Imperator vestimenta sua deposuit, et fraudatores simulaverunt se illi induere singula vestimenta nova, quae consuendo essent perfecta, et imperator ante speculum corpus suum vertebat atque torquebat.

Omnes: »Eia« inquit, »quam bene decent, quam magnificê quadrat!« . »Quam pulchra pictura! Quales colores! En synthesin pretiosissimam!« –

Tum magister caerimoniarum supremus nuntiavit: »Foris ministri stant conopeum throni² tenentes, quod gestandum erit supra Aeternam Maiestatem Tuam!«.

Imperator autem dixit: »Videte, iam paratus sum!« . »Nonne bene quadrat?« et deinde denuo se vertit ad speculum; nam voluit se videri vestimenta sua rectê aspectare.

Camerarii autem, quorum erat syrma³ gestare, manûs erexerunt versus pavimentum, quasi tollerent syrma, prodierunt simulantes se aliquid in âere tenêre; nam non ausi sunt patefacere se videre nihil.

Itaque imperator incedebat sub conopeo throni magnifico, et omnes homines in viis et fenestris dicebant: »Vestimenta imperatoris o quam sunt incomparabilia! Ecce quale sit syrma vesti affixum! Quam

² conopeum throni theod. *Thronhimmel, Baldachin*.

³ syrma, -atis n. theod. *Schleife*.

pulchrê id quadrat!« Nemo patefecit se videre nihil; nam si hoc patefecisset, manifestum fuisset se non aptum esse ad munus suum aut se esse stultissimum. Nullis vestimentis imperatoris tantum felicitatis effectum erat quam iis.

Tandem dixit puer parvulus: »At iste vestimentum gerit nullum!« Tum pater eius: »Audite« inquit »vocem innocentiae!«; et unus alii insusurrabat, quid puer dixisset.

Denique omnis populus vocavit unanimiter: »At iste vestimentum gerit nullum!«. Tum animus imperatoris commotus est, cui populus visus sit rectê sentire, sed secum cogitavit: »Nunc perfer et obdura!«. Et camerarii ibant et gestabant syrma, quod omnino deerat.




**FABULAM ANDERSENIANAM
IN LATINUM CONVERTIT
LEO LATINUS**



ET MITTUNT EOS IN CAMINUM IGNIS. IBI ERIT FLETUS ET STRIDOR DENTIUM.

MATTHAEUS 13, 41sq. Mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno ejus omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium.



DE FRAUDE CLIMATICA (II)¹



SCANDALO SCIENTIARUM OMNIUM MAXIMO

NECNON SCANDALO OECONOMIAE

PAEDAGOGIAEQUE

ALIIS LUCROSO ALIIS DAMNOSO

**MUNDUS VULT DECIPI:
ERGO DECIPIATUR.**

PARS ALTERA (II)

¹ fraus *climatica i.q. theod. *Klimaschwindel*.

»Scientistae² nequaquam inter se consentiunt mutationem climatis³ ab hominibus effici. His mille scientistis duo intersunt Germani, Professor Gerlich et ego ipse, qui scripserunt commentationem, c.t. Falsificatio physica effectuum thermocepitorum⁴, qui in atmosphaerâ fieri dicuntur propter carboneum dioxydatum⁵. Nulli sunt mechanisimi physici, quibus carboneum dioxydatum vim habeat ad clima mutandum, et sententia, secundum quam temperatura terrae media dicatur augeri posse carboneo dioxydato ab hominibus emisso, ratione scientificâ non solum non demonstrari potest, sed est etiam *f a l s a* ...immo equidem ipse non dubito quin hac (sententiâ publicê comprobâtâ) scandalon scientiarum effectum sit maximum omnium temporum... Necnon agitur de scandalo politico, oeconomico, paedagogico uno ex maximis – paedagogicum quoque est eo, quod in scholis discipuli imbuuntur rebus falsis...«

Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER⁶

² *scientista, -ae m. i.q. theod. Wissenschaftler.


³ theod. Klimawandel

⁴ effectus *thermocēpicus i.e. theod. Treibhauseffekt. cfr. ngr. θερμοκήπιον i.q. theod. Treibhaus.

⁵ carbōneum dioxydātum i.q. theod. Kohlen(stoff)dioxyd.

⁶ orig.: Prof.Dr. rer.nat. Ralf D. TSCHEUSCHNER <https://www.youtube.com/watch?v=4xep6MvyUT8> "Es kann von einem Consensus über den menschengemachten Klimawandel keine Rede sein. Unter diesen 1000 Wissenschaftlern sind 2 Wissenschaftler aus Deutschland, Prof. Gerlich und meine Person, die eine Arbeit geschrieben haben: Die Falsifizierung der atmosphärischen CO2-Treibhauseffekte im Rahmen der Physik. Es gibt keine physikalischen Mechanismen, nach denen CO2 (Kohlensäure) das Klima beeinflussen könnte, und für die Behauptung, dass die von Menschen verursachten CO2-Emissionen die mittlere Temperatur der Erde erhöhen könnten, gibt es nicht nur keine wissenschaftlichen Beweise, sondern sie ist auch *f a l s c h* ...Ich würde sogar ganz persönlich davon ausgehen, dass es sich um den größten Wissenschaftsskandal aller Zeiten handelt. ... Es ist auch einer der größten politischen, wirtschaftlichen und pädagogischen Skandale - pädagogischen Skandale deshalb, weil den Schülern in den Schulen Falsches beigebracht wird..."

IVAR GIÆVER PHYSICUS NOBELIANUS QUID SENTIAT DE CALEFACTIONE GLOBALI¹



IVAR GIAEVER (* 1929) a.1973 praemio Nobeliano physicae honestatus,
a.2015 Lindaviae (*Lindau*) de calefactione globali orationem habens.

„Acroasin facturus sum de calefactione globali retractatam. Causa retractationis est haec: Calefactionem globalem tractare coepi hōc loco Lindaviae. Nam a.2008 particeps fui disceptationis publicae, quae facta est de calefactione globali. Non verê volui eandem participare. Sed illi dixerunt: „Debes. Reverâ!“ – Itaque dimidium integrumve diem degi interrete pervagans. Territus autem sum iis, quae invēni. At aliquatenus curiosus factus sum. Cum autem illius disceptationis publicae particeps factus essem, interretiali machinae quaeritandi Googlianæ indidi verba „Giaever“ et „calefactio globalis“ inter se coniuncta. His autem verbis inditis accepi circiter 40.000 (quadraginta milia) iunctionum. At nomine meo indito cum verbo, q.e.

¹ cfr cinematium, quod sequitur: https://www.youtube.com/watch?v=TCy_UOjEir0 *Prof. Nobel Laureate Smashes the Global Warming Hoax*. In Latinum convertit Leo Latinus. Ceterum nomen huius viri laureati gentilicium (Giæver), quod est originis Norvegicae, secundum Lexicon pronuntiatūs theodisci Dudenianum, quod scriptum est a Maximiliano Mangold (DUDEN, Aussprachewörterbuch. Wörterbuch der deutschen Standardausssprache, 3.Auflage, bearbeitet von Max Mangold, DUDEN Bd.6, Dudenverlag Mannheim/Wien/Zürich 1990, p.329, s.v. Giaever), sic pronuntiat: [ˈjeivə]

“superconductivitas”, accepi multo pauciores iunctiones. Calefactio globalis reverâ est thema frequentatissimum.

His inventis dixi id quod adhuc verum esse credo: *calefactionem globalem reverâ factam esse novam religionem*, quia non liceret de hac re in utramque partem disputare. Nam hoc non decet. Hodierno in conventu Lindaviensi omnes homines celebres in acroasibus suis locuti sunt de mutatione climatis. Nescio, quid illi sciant, quid sentiant. Tamen illi hoc dixerunt. Tamen dixerunt. Omnis loquitur de mutatione climatis. *Americana Societas Physica*, cuius fueram particeps, dixit argumenta, quibus demonstraretur calefactio globalis reverâ fieri, esse *incontroversibilia*². Velim vos deliberetis de istâ re: Exstat Societas physica, quae dicat non posse fieri, ut de calefactione globali in utramque partem disputetur, quia *credat* hanc calefactionem fieri. Hoc fit ita ut in Ecclesiâ Catholicâ! Nam pro certo habeo eam quoque abundare veritatibus *incontroversibilibus*. At in istâ quoque Societate Physicâ exstat veritas *incontroversibilis*! His verbis acceptis nil scivi respondere nisi hanc societatem relinqui. Societate autem Physicâ relictâ opinione plus effeci tumultûs.

Calefactio globalis primo divulgata est ab istis demum viris: Qui sunt *Albertus Goreus* et *Rajendra Pachauri* (aut quomodocumque hoc nomen pronuntiat); qui istud graphema reddiderunt populare. Scio hoc esse difficile cognitu. In axe verticali temperatura indicatur unius tantum gradûs partibus decem et in axe horizontali indicantur anni, qui sunt ab 1860 usque ad 2000 (*ab millesimo octingentesimo sexagesimo usque ad bis millesimum*). Videtis calefactionem globalem esse exauctam, sed modulus est talis, quali medicus dentarius utatur commendans pastam suam dentifriciam. Nam capacitas mensurandi est omnino distorta. Quae unum tantummodo complectitur gradum. Quidnam hac curvâ mensuratum est? Eâdem mensurata est temperatura totius terrae media, quae inventa est toto in anno, temperatura media totius anni, idque unius tantum gradûs partibus. Quidnam hoc valet? Cogito verisimile esse hoc valere nihil. Ut iterum dicam: Ab a.1880 usque ad a.2015 temperatura exaucta est a 288 K usque ad 288,8 K, i.e. 0,3% partibus centesimis. (*a ducentis*

² +incontroversibilis, -e, i.q. angl. *incontrovertible*; theod. *unbestreitbar, unwiderlegbar*. cfr Ioannes Clericatus, *Discordiae forenses de Beneficiis*, tom.1, Venetiis 1718, Discordia IX, p.31.

duodenonaginta gradibus Kelvinianis usque ad gradûs ducentos duodenonaginta – virgula – octo Kelvinianos, i.e. zerote – virgulâ – tribus partibus centesimis). Cogito mirandum esse, temperatura terrae quam stabilis manserit!

Ego habito in Civitatis Neo-Eboracensis urbe *Albaniâ*. Ibidem interdum temperaturae aestatis et hiemis inter se differunt circiter octoginta gradibus. Vosne nunc creditis 0,8 gradûs temperaturae in terrâ medios aliquanto valere ad clima urbis Albaniae? Vobisne videtur hoc esse aliquatenus consentaneum? Hîc monstratur, ubi temperaturae mensurentur. Supra gradum latitudinis sexagesimum sunt in septentrione 167 (*centum sexaginta septem*) puncta, inter gradum 430 (*quadringsesimum tricesimum*) et 60 (*sexagesimum*) sat multae fiunt mensurationes. Civitates Unitae abundant stationibus mensurandi, sed in polo australi stationes secundum NASA non sunt nisi octo. Haec sunt omnia, quae habeant in polo australi: octo thermometra. Si nobis essent octo tantum thermometra ad temperaturam Germaniae mediam mensurandam, ubinam ea collocanda essent? Ergo octo thermometra ad integram continentem – haec sunt ferê nihil!

Alia quoque res est commemoranda: In polo australi tempestas numquam tam frigida fuit quam nunc. Ibi nunc est plus glaciei quam umquam fuit. At de hac re nihil dicitur! Homines malunt loqui de polo boreali, ubi hîc tempore tempestas est calidior.

Restat alia res, quâ stomachor: Quanta est temperatura terrae optima? Est ea temperatura optima, quam nunc habemus? Hoc esset mirabile! Fortasse ea est duobus gradibus calidior. Fortasse est duobus gradibus frigidior. At nemo mihi dixit, quanta esset temperatura totius terrae optima. Hoc aliquatenus simile est rationi Americae politicae externae. Politici res tales volunt videre, quales sunt. Quia volunt Civitates Unitas fovere. Sed ipsi politici non possunt dirigere clima. Tamen et terrificatores et negatores (*mutationis climaticae*) comprobant temperaturam totius terrae inter annum mediam mensurari unius tantum gradûs partibus et affirmant temperaturam sic indicatam esse significantem. Scilicet talem non esse! Quomodo fieri potest, ut temperatura totius terrae per totum annum mensuretur et

indicetur unius tantum gradûs partibus? Equidem puto temperaturam mediam comparari posse cum vestimentis illis imperatoris novis. Ut ille puer clamavit: „At imperator gerit vestimentum omnino nullum!“, sic ego velim exclamare: „Temperatura totius terrae non potest mensurari – tantâ cum subtilitate!“



EVIDENTIA INCONVINCIBILIS SIVE INCONTROVERSIBILIS:
 ACCURATA MENSURATIO TEMPERATURAE, QUAE IN TOTO GLOBO TERRESTRI VALET SPATIO ANNUO, TAM EVIDENS EST QUAM ILLA VESTIS IMPERATORIS: IVARUS GLÆVER EST QUADAMTENUS ILLE PUER SINCERE VOCANS IMPERATOREM ESSE NUDUM !

At his undeviginti annis temperatura terrae non est exaucta. Quae est ex undeviginti annis constans. Quae ferê per tot annos non est mutata, quot habent hi alumni academici, quos verisimile est habere circiter viginti tres quattuorve annos. Temperatura non est exaucta. At a.1998 facta est mucro curvae notabilis. Quid homines, qui temperaturam mensuraverunt, de hac curvâ fecerunt? Hîc sunt temperaturae novissimae, et si curvam aspectas, vides eam ascendere. Temperatura hîc loco augetur. Quomodo hoc fieri potest, quamvis in alterâ curvâ modo monstrata temperatura fuerit constans? Hoc effectum est, quia nunc temperaturam oceani mensurationi includunt. Curnam nunc oceanum mensurationi includunt? Quid putatis? Quia hîc modo

mensuratio fit accuratior? An quia hōc modo illi data falsare possunt? Hoc est id quod NASA facit. *Obama* dixit annum proximum praeteritum, i.e. a.2014, fuisse annum omnium calidissimum. At hoc *non* est verum. Qui annus *non* est calidissimus. Ita. St putatis vos a me decipi, videte haec: Hīc sunt data satellitum, et hīc est mucro anni 1998, et ex utroque idem patet: Temperatura non est exaucta. Quid ergo est effectus thermocephicus? Sine atmosphaerâ terra esset plus minusve 35 gradibus frigidior. Ab a.1898 usque ad a.1998 temperatura est circiter 0,8 gradibus, concentratio carbonei dioxydati a 295 ad 367 ppm (partes per milionem), i.e. 72 ppm (partibus per milionem) exaucta est. Spatio centum annorum. Hae sunt res verê factae. Quas ego non mente confinxi. Nunc ex a.1998, qui est annus calidissimus, carboneum dioxydatum etiam dimidiâ parte illius copiae centum annorum praeteritorum exauctum est, sed temperatura mansit stabilis. Quae est causa, cur temperatura non exaucta sit 0,4 gradibus?

Ego sic sentio: Si quis est physicus et habet theoriam et facit experimentum, quod non congruit cum teoriâ, oportet theoriam reprobet. Theoria enim est falsa. (*Secundum theoriam*) dimidia pars (*augmenti temperaturae centennalis*) fuerat exspectanda. Sed tantum augmentum non est mensuratum.

Itaque non licet credere monitoribus climaticis dicentibus carboneum dioxydatum esse substantiam diabolicam ideoque hominibus non esse autocineto vehendum et cellulas solares esse adhibendas et alia similia, alioquin fore, ut terra destrueretur. Nam ista non sunt vera. Ista abolutê non sunt vera.

Hic dicunt *Grenlandiam* interire. In imaginibus homines stant in crustis glacialibus et flumina redundant et Grenlandia dicitur absumptum iri. At in interreti invêni nuntium mirabilem, quo in Grenlandiâ indicantur quattuor portûs esse. Ecce nomina eorum, quae nolo pronuntiare:

Upernavik

Iulissat/Jakobshavn

Nuuk/ Godthåb

Tasiilaq/ Ammassalik

Videtis annos frigidissimos 1992, 1997 eqs in unâ parte et in alterâ parte annos frigidissimos – qui sunt plerumque in annis triceniariis (a.1930sqq.).

Aliâ quoque re stupeo: Si homines loquuntur de climate mutato, semper putant hoc evadere in aliquid peius. At clima etiam mutari potest in melius. Si clima mutatur, semper probabilitate 50% (*quinguagenarum partium centesimalium*) mutatur in – per Dei voluntatem – aliquatenus melius. Non semper potest mutari in peius!

Nunc venit res praestantissima: Si homines non terrentur mutatione climatis, terrentur tempestatibus extremis. Ergo loquamur de tempestatibus extremis. Quaerendum est, num aequor maris tollatur?

Hic est curva, non bene apparet, sed in x-axe sunt millennia et in y-axe indicantur metra. Si aspectas scalam recentiore, fortasse videbis scalam nunc per centimetra esse divisam et spatio horum centum annorum aequor maris esse 20 (viginti) centimetris sublato. Necnon his trecentis annis aequor maris vicenis centimetris est sublato. Ergo haec sublatio aequoris nequaquam est insolita! Ut autem pro certo habeam vos hoc intellegere, repeto: NULLA est sublatio aequoris marini insolita!

Ecce *furacani*³ in Civitatibus Unitis his annis 150 facti: Furacani dicuntur graviores facti esse, quia terra sit 0,8 gradibus calidior. Per medium! At hîc nihil videtis huius rei. Si quidem est aliqua mutatio, interim incohata est periodus furacanorum leviorum.

³ **furacānus*, -ī m. (sc. ventus/ typhōn). angl. *hurricanes*. Primo commemorari videtur hoc nomen Cariborum indigenum apud **Petrum Martyrem**, in opere, quod inscribitur „**De Orbe Novo Decades**“] lib.IV [1516](#) (doleo quod versio tantum mihi praesto est): *These tempestes of the ayer (which the Grecians caule Tiphones..) they caule furacanes... violent and furious Furacanes, that plucked vppe greate trees.* (21; versio Anglica Eden, 1550). Ecce alter locus testis (iterum Anglica versione traditus): [1593](#), **Theodorus de Bry**, *Americae tertia pars*, pl.11 (s.c. fE141.B8 ?) *The first sign was a powerful wind the Spaniards called Furacanum, that threatened to fling the sky down onto earth*“. Tandem locus Latinus sequatur: Girolamo **Benzoni**/ Urbanus **Calveton**: **Nova Novi Orbis Historiae**, id est, rerum ab Hispanis in India Occidentali hactenus gestarum, ...libri tres/ Urbani Calvetonis opera industriaque ex Italicis Hieronymi Benzoni ...commentariis descripti, Latini facti, ac perpetuis notis...illustrati. **Genevae 1578**, (477pp.): „...vehementissimus quidam typhon, quem Hispani **Furacanum** appellant, tanto impetu irruit, ut caelum simul ac terras rapere secum et miscere velle videretur.“

Hae sunt res verê factae. Quas res ego non mente finxi!

A.2012, quo Lindaviae hanc acroasin feci, vituperatus sum, quod nihil (*scientificê scriptum*) publicavissem de calefactione globali. Sed non est necessarium aliquid de hac re publicare. Neque necesse est aliquem esse scientistam, ut videat, quid valeant hae curvae.

Nec aliter res se habet in *cyclontibus*⁴, qui facti sunt in Civitatibus Unitis. His 50 annis sumus in periodo leniore. Ea quae illi homines dicunt, non sunt vera! Heri collocutus sum cum aliquo diurnario ephemeridis, c.t. „Zeit“, qui fortasse nunc adest, et quaesivi ex eo, quotnam symbolas publicavisset, in quibus scripsisset globalem calefactionem esse rem bonam. At verisimile est tales symbolas omnino non publicari. De climatis mutatione nil refertur nisi malum! Semper! Referunt globalem calefactionem esse pessimam!

At ego dicam globalem calefactionem esse problema prorsus nullum. Relinquite eam quietam, sinite eam curare se ipsam!

Do vobis exemplum: Quod est paululum difficile. Quod accepi a *Llan Samson*, qui dixit :

„Mente fingamus conclave magnum, quod habet longitudinem 20 pedum, latitudinem 20 pedum, altitudinem decem pedum (i.e. fere 6m x 6m x 3m) – hoc est magnum conclave medianum. Deinde hoc conclave secluditur a mundo reliquo. In reliquo autem mundo sunt omnia ista autocineta mala gasa necnon carboneum dioxydatum in atmosphaeram emittentia.

Id, quod ille Samson deinde quaesivit ex se ipso, fuit hoc: „Si hoc conclave post unum annum aperitur, quot ramenta flammifera in eodem conclavi accendenda sunt, ut contineat tantum carbonei dioxydati, quantum contineat mundus externus autocinetis pollutus?

Quis vestrum vult divinare? Verisimile est hoc neminem velle divinare. Nam u n u m tantummodo ramentum flammiferum est accendendum, ut conclave contineat tantum carbonei dioxydati, quantum atmosphaera contineat post 20 annos autocineti adhibendi! 20 anni – 1 ramentum flammiferum in magno conclavi accensum!

⁴ **cyclôn*, cyclontis m. angl. *tornado* ; theod. *Orkan*.

Tantulo ramento in atmosphaera efficitur eadem copia carbonei dioxydati ac omnibus autocinetis mundi, i.e. circiter una miliarda autocinetorum. Physici bene sciunt talia calculare. Epistula a Samsone accepta, cui haec inscripta erant, cum sollicitarer, ipse hanc rem calculando probavi. Haec res inveniri potest in interreti. Necnon data ad omne autocinetum spectantia et omnes mensurae inveniuntur. Hoc est unum tantummodo exemplum.

Mihi difficile est – perdifficile intellectu omnem fere gubernationem Europae (excepta Polonica, ut puto) sollicitari de calefactione globali. Necessè est eandem esse rem POLITICAM!

Denique sentio nobis discendum esse vivere cum rebus, quae mutantur. Clima mutatur nec nos possumus hoc dirigere. Illîc autem est imago mei uxorisque meae sexaginta annis ante facta, quo connubio coniuncti sumus. Hîc autem videtis, quomodo nos interim mutati simus. Et oportet nos vivamus hîc modo mutati. Est alia quoque mutatio interim facta: Nunc habemus photographema coloratum, videtisne? Illo tempore, quo connubio coniuncti sumus, non fuerunt photographemata colorata.

Hactenus mundum reliquimus meliorem quam tempore, quo adieramus, et id perget sic fieri, unâ tantum re exceptâ: finienda nobis est ingens pecuniae profusio, quae fit propter calefactionem globalem. Hoc debemus facere. Nam eâdem profusione retro pellemur. Sunt, qui sentiant hanc rem esse sustentabilem⁵, sed talis non est!

Haec habui, quae dicerem. Gratias plurimas vobis ago.

Hanc acroasin a.2015 Lindaviâ in oppido prope Lacum Brigantinum sito fecit

Prof.Dr. Ivar GIAEVER (*1929)
Physicus a.1973 praemio Nobeliano honestatus
https://www.youtube.com/watch?v=TCy_UOjEir0

In Latinum convertit LEO LATINUS

⁵ sustentabilis, -e i.q. angl. *sustainable*; theod. *nachhaltig*.

VOCABULA ARTIUM ET ARCHITECTURAE (VII)

ex Orbe Picto pentaglotto excerpta et Latinê reddita

CORBEIL, Jean-Claude/ARCHAMBAULT, Ariane: PONS Bildwörterbuch Deutsch-Englisch-Französisch-Spanisch-Italienisch. Stuttgart etc. (Ernst Klett Sprachen) 2003.

In hōc Orbe Picto mirabili 35.000 (triginta quinque milia) notionum imaginibus sunt illustrata et quinque linguis Europaeis denominata: Theodiscâ et Anglicâ et Francogallicâ et Hispanicâ et Italicâ. Nos autem coepimus addere vocabula Latina, quorum hōc loco praebemus partem earum decimam, quae spectat ad res accessorias. Provinciae rerum, quarum imagines et vocabula in Klettiani Orbis Picti paginis 920 (nongentis viginti) inveniuntur, sunt hae quae sequuntur:

**I. ASTRONOMIA – II. TERRA – III. REGNUM PLANTARUM –
IV. REGNUM ANIMALIUM – V. HOMO – VI. NUTRIMENTA ET
INSTRUMENTA COQUINARIA – VII. DOMESTICA – VIII. AUTURGIA
ET HORTICULTURA – IX. VESTIMENTA – X. RES ACCESSORIAE
PERSONALES – XI. ARTES ET ARCHITECTURA –
XII. COMMUNICATIO ET INSTRUMENTA GRAPHEICA –
XIII. TRANSPORTUS ET VEHICULA – XIV. ENERGIA – XV.
SCIENTIAE – XVI. ATHLETICA ET LUDICRA.**

Babae, quanta copia! quanta ubertas! quanta multiplicitas! Qui Orbis Pictus etiam lexicographis Latinitatis recentioris est aurifodina et cornu copiae. Nam iidem vocabulis linguarum, praesertim Romanicarum, in eodem indicatis usi saepe perfacile inveniunt vocabulum Latinissimum. En cara Lectrix, care Lector, habes partem **ARTIUM ET ARCHITECTURAE sextam (VII)** vocabulis Latinis ditificatam. Faveas, quaeso, operi nostro laborioso.

Nicolaus Groß

LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.com/>

theodiscē	anglicē	francogallicē	hispanicē	italicē	LATINĒ
p.427 DARSTELLENDEN KÜNSTE	PERFORMING ARTS	ARTS DE LA SCÈNE	ARTES ESCÉNICAS	ARTI SCENICHE	ARTES SCAENICAE
Kino	cinema	cinéma	cine	cinema	cīnēmatēum , -ei n.
Plakat	poster	affiche	cartel		*toechocollēma , -atis n.
Karten- kontrolleur	ticket collector	préposé au contrôle des billets	controlador de entradas	addetto al controllo biglietti	inspector tesserārum [cfr He.177 s.v. Eintrittskarte tessera aditalis]
Münz- fernsprecher	pay phone	téléphone public	teléfono público	telefono pubblico	tēlephōnum pūblicum
Kinoleinwand	projection screen	écran de projection	pantalla de proyección	schermo di proiezione	ōthona , -ae f. [cfr ngr οθόνη]
Kinosaal	projection room	salle de projection	sala de proyección	sala di proiezione	oecus proiectiōnis
Sitzplatz	seat	fauteuil	butaca	posto a sedere	sēdēs , is f.
Treppe	stair	escalier	escaleras	scala	scālae , -ārum f.pl.
Lautsprecher	speaker	haut-parleur	altavoz	cassa acustica	*megaphōnum , -ī n.
Projektor	projector	projecteur	proyector	proiettore	*proiectrum , -ī n.
Vorführraum	projection booth	cabine de projection	cabina de proyección	cabina di proiezione	diāeta proiectiōnis
Snackbar	snacks' sale counter	comptoir de vente de friandises	bar	snack bar	*cuppēdiarium , -īī n.
Fahrtreppe	escalator	escalier mécanique	escalera mecánica	scala mobile	scālae volūbilēs
Eintritts- Kartenautomat	quick ticket system	billetterie express	taquilla automática	biglietteria automatica	automatum tesserārium
Filmtitel und Vorführzeiten	film titles and schedules	titres et horaires des films	cartelera y horarios de las películas	titoli e orari dei film	titulī et hōrāria cinēmatum [horarium: cfr CENSORINUS 23,7]
Eingangstüren	entrance doors	portes d'entrée	puertas de entrada	porte d'ingresso	iānuā introeundī [Daniel Concina, Theologia christiana dogmatico- moralis, Romae 1749, p.240: "baptisma non fuit reipsa ianua introeundi in arcam]
Kasse	box office	billetterie	taquilla	biglietteria	ōstiolum tesserārium [He.302: "Kasse <im Kino, Theater> ostiolum tesserarium]
Damentoilette	ladies' toilet	toilettes femmes	aseos de señoras	bagno delle donne	sēcessūs mulierum
Herrentoilette	men's toilet	toilettes hommes	aseos de caballeros	bagno degli uomini	sēcessūs virōrum
p.428 Aufnahmebühne	shooting stage	plateau de tournage	plató de rodaje	set delle riprese	scaena *cīnematō- graphandī
Kostüm	costume	costume	vestuario	costume	vestiārium , -īī n.
Garderobier	dresser	habilleur	jefe de vestuario	costumista	vestiārius , -īī m.
Schauspieler	actor	acteur	actor	attore	āctor , -ōris m.; histriō , -ōnis m.
Maskenbildner	make-up artist	maquilleuse	maquillador	truccatore	*fūcātor , -ōris m. [Antonius Matthaeus Gwynn: In assertorem chymicae sed verae]

					medicinae desertorem... Londini 1611, p.132: "...tinctorem, pigmentarium, fullonem, fucatorem cosmeticum hunc aestimavero..]	
Friseur	hair stylist	coiffeur	peluquero	parruchiere	tōnsor , -ōris m.	
privater Ankleideraum	private dressing room	loge privée	camerino privado	camerino privato	apodytērium , -īī n.	
Scheinwerfer	spotlight	projecteur	proyector	proiettore	lūmināre , -is n. [He.476]	
Streuscheibe	diffuser	diffuseur	difusor	diffusore	lāmina diffūsōria	
Regie-Kontrollmonitore	director's control monitors	moniteurs de contrôle du réalisateur	monitor de control del director	monitor di controllo del regista	*othona dissīgnātōris custōdiāria	
Chefmaschinist	key grip	chef machiniste	maquinista jefe	capomacchinista	*archimāchinārius , -īī m.	
Ausstatter	production designer	chef décorateur	decorador jefe de produccióń	designer di produzione	*decōrātor superior	
künstlerischer Leiter	art director	directeur artistique	director artístico	direttore artistico	dīrēctor artis	
Schauspielerstühle	actor's seats	fauteuils des acteurs	sillas de los actores	sedie degli attori	sellae āctōrum/histriōnum	
Zweiter Kamera-assistent	Second assistant camera operator	second assistant-cadreur	segundo ayudante de cámara	secondo assistente cameraman	adiūtōr camerārīī secundus	
Ankleideraum	dressing room	salle d'habillage	camerino	camerino	apodytērium , -īī n.	
Filmkamera	camera	caméra	cámara	telecamera	*cīnēmatocamera , -ae f.	
Kameramann	camera operator	cadreur	operador de cámara	cameraman	*cīnēmato-camerārius , -īīm.	
Dollyschienen	dolly tracks	rails de travelling	rafles del travelín	binari del carrello	rēgulae carrulī	
Dolly	dolly	chariot	travelín	carrello	carrulus , -ī m.	
Erster Kamera-assistent	first assistant camera operator	premier assistant-cadreur	primer ayudante de cámara	primo assistente cameraman	adiūtōr camerārīī prīmus	
Maschinist	grip	machiniste	maquinista	macchinista	māchinārius , -īī m.	
p.429 Chef-Kameramann	director of photography	directeur de la photographie	director de fotografía	direttore della fotografia	dīrēctor *cīnēmatographiae	
Schauspielerin	actress	actrice	actriz	attrice	āctrīx , -īcis f. ; *histrīōnissa , -ae f.	
Beleuchtungs-gitter	lighting grid	grille d'éclairage	peine de iluminacion	griglia di illuminazione	clāthrī / cancellī illūminātiōnis	
Filmset	set	décor	set	set	*scaenicum , -īī n. [ngr. σκηνικο]	
Lichttechniker	lighting technician	électricien	lumino-técnico	tecnico delle luci	technicus lūmināris	
Oberbeleuchter	gaffer	chef électricien	jefe de luminotecnia	caposquadra	illūminātor superior	
Dekorateur	set dresser	décorateur	decorador	decoratore scenico	decōrātor scaenicus	
Requisiteur-assistent	assistant property man	assistant-accessoiriste	ayudante del atrecista	aiuto attrezzista	adiūtōr choraḡī	
Tonassistent	boom operator	perchiste	operador de jirafa	giraffista	adiūtōr acusticus	
Tonmeister	sound engeneer	chef opérateur du	ingeniero de	ingegnere del suono	+ingeniārius	

		son	sonido		acusticus	
Tonaufnahme- geräte	sound recording equipment	appareil de prise de son et d'enregistre-ment	equipo de sonido y de grabación	sistema di registrazione audio	apparātus receptiōnis acusticae	
Requisiteur	property man	accessoiriste	atrecista	attrezzista	chorāgus, -ī m. [PLAUT.Curc.4,1; Trin.858]	
Standfotograf	still photographer	photographe de plateau	fotógrafo de plató	fotografo di scena	*photographus scaenae	
Scriptgirl	continuity person	scripte	secretario/-a de producción	segretaria di produzione	sēcrētāria prōductiōnis	
Produzent	producer	producteur	producer	produttore	*prōductor, -ōris m.	
Regieassistent	assistant director	assistant- réalisateur	ayudante del director	aiuto regista	adiūtor dissīgnātōris	
Regisseur	director	réalisateur	director	regista	dissīgnātor, -ōris m.	
Regiestuhl	director's seat	fauteuil du réalisateur	silla del director	sedia del regista	sella dissīgnātōris	
Klappe	clapperboard	claquette	claqueta	ciak	crepitāculum *cīnēmato- graphicum	
Aufnahmeziffer	time code	code temporel	número de la escena	codice temporale	numerus scaenae	
p.430 Theater	theatre	salle de spectacle	teatro	teatro	theātrum, -ī n.	
Soffitten	borders	frises	bambalina	cieletti	pannī suffixī	
Orchestergraben	orchestra pit	fosse d'orchestre	foso de orquesta	golfo mistico	fossa orchestrae	
Vorbühne	proscenium	avant-scène	proscenio	proscenio	proascaenium, -īī n.	
Bühne	stage	scène	escenario	palcoscenico	scaena, -ae f.	
Unterbühne	below-stage	dessous	foso de escenario	sottopalco	hyposcaena, -ae f.	
Versenkpodium, Stockwerk- podium	trap	trappe	trampilla	botola	podium *dēmissile [cfr Herodoti Historiarum libri IX. Ed. Thoams Gaisford, tom. IV. Adnotationes p.575sq. ten tyren ten katapakten] ex hariolatione Reiskii ten katarrakten, et supra tyres katarraktes, januae demissilis, sive, quae attolli et demitti posset]	
Hauptvorhang	stage curtain	rideau de scène	telón de boca	sipario	aulaeum, -ī n. [CIC.Cael.65]	
Kulissen, Schiebewände	wings	coulisses	bastidores	quinte	parietēs mobilēs	
Bühnen- hintergrund	upstage	lointain	fondo	muro di fondo	scaena extrēma [Ge.1870, dt.-lat., tom.1, cpl.1914, s.v. Hintergrund]	
eiserner Vorhang	iron curtain	rideau de fer	telón contrafuegos	sipario tagliafuoco	siparium ferreum	
Galerie	catwalk	passerelle	pasarela	passerella	porticula, -ae f. [CIC.ep.7,23,3]	
Bünnenhaus	stage-house	cage de scène	escenario	gabbia del palcoscenico	frōns scaenae https://www.zum.de/Faecher/G/BW/Landeskunde/rhein/geschichte/roemer/kultur/theater/text1.htm „Abgeschlossen wird das römische Theater vom Bühnenhaus, der frons scaenae ."	

					die das gesamte Gebäude in voller Höhe abschloss“]
Ober- maschinerie	flies	cintres	telares	ballatoi	māchinae superiōrēs
Beleuchter- brücke	batten	herse	rastrillos	bilancia	pōns illūminātiōnis
Prospektzug	backdrop	toile de fond	telón de fondo	fondale	+ēlevāmentum, -ī n.

**Haec vocabula artium et architecturae
excerpsit et in Latinum convertit**

**Nicolaus Groß
LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

(Sequetur VOCABULORUM ARTIS ET ARCHITECTURAE PARS (VIII))

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materialiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EΙΣ AEI.

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandata-telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI-TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104 A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA – Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE – Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404 A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedouus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505 A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605 A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705 A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306 A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406 A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	00506 A	978-3-938905-26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3-938905-27-2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	-----	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	00207	978-3-	OBSIDIO SAGUNTI A	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90

	A	938905-28-9	T.LIVIO DESCRIPTA						
30	00307	978-3-938905-29-6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wihelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD-ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**



**HANC EPISTULAM LEONINAM
CENTESIMAM QUADRAGESIMAM**

SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

die Veneris, 25. m. Aug. a. 2017

Nicolaus Groß

LEO LATINUS

<http://www.leolatinus.de/>